



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De fortitudine prout est virtus purgatoria, & purgati animi, & de Martyrio,
in quo concurrunt quatuor actus virtutum. Cap. LXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Delectatio
duplex.

tertio Ethicorū, quòd fortis in actu suo nihil delectabile videtur habere: & iterum dicit, quòd à forti non requiritur quòd delectetur, quasi delectationem sentiens, sed sufficit quòd non contristetur. Ad hoc dicendū, secundū Thomam, quòd duplex est delectatio. Quaedam enim est corporalis, quæ consequitur tactum corporalem, & illā delectationem non consequitur fortis in actu suo principali, qui est sustinere, quia sustinere persecutiones, flagellationes, excoriationes, vulnera, membrorū detractiones, vel mortem, est contristabile & dolorosum humanæ naturæ. Hoc enim negare, esset negare eos esse carnales, quia si habent carnem sensibile, necessariò sequitur, quòd laesura inferat eis dolorem. Alia verò delectatio dicitur animalis, quæ scilicet apprehensionem animæ consequitur. Et hæc delectatio propriè consequitur opera virtutum: quia consideratur in eis bonum rationis. Et secundū hoc fortis aliquam delectationem consequitur, licet etiā secundū apprehensionē animæ habeat vnde doleat, eo scilicet, quòd vitā corporalem amittit, quā virtuosus amat, nō solū in quantum est bonū naturale, sed etiā in quantum est necessaria ad opera virtutū, & quæ ad ea pertinet. Et sic fortis habet ex vna parte quò delectetur secundū delectationē animalem, scilicet de actu virtutis, & de eius fine: habet etiā ex alia parte vnde doleat, nō solū corporaliter propter illatas penas, sed etiā animaliter propter amissionē vitæ: Hinc dicebat Eleazarus: *Duros corporis sustineo dolores, secundū animā verò, propter timorē tuū libenter hæc patior.* Veruntamen sensibilis dolor corporis ipsis facit non sentire delectationem animalem virtutis, nisi forte hoc faceret exuberans gratia Creatoris, vt postea videbitur. Cuius ratio est, quia licet quædam sit delectatio virtutis in opere fortitudinis, propter dolorem tamen sensus impeditur mens fortis, ne in operatione propria delectationem sentiat, eò quòd vehemētia passionis vnius potētia, aliam impedit in actu suo, propter connexionem potentiarum ad inuicem: nihilominus tamen virtus fortitudinis facit, vt ratio non absorbeat à corporalibus doloribus, facit inquam, quòd delectatio virtutum superat animalem tristitiam, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibusdam ad eam pertinentibus,

2 Macha. 6.

De fortitudine prout est virtus purgatoria, & purgati animi, & de Martyrio, in quo concurrunt quatuor actus virtutum.

Cap. LXXI.

Fortis

Fortis est ut mors dilectio, dura ut infernus amulatio. Secundus gradus fortitudinis mentem magis confortat, ita ut nulla poena corporalis eam deterreat, quia ad sola aeterna fortiter anhelat: & sic est virtus purgatoria, quae est mentem non terri contra quaque aduersa, nec etiam a corpore recedentem. Et sic, ut dicit Augustinus, fortitudo est amor facile toleras omnia propter id quod amatur. Est enim affectio, quae nullas aduersitates mortemve formidat. Et haec animi fortitudo (secundum Ambrosium) in duobus generibus spectatur. Primo, ut exteriora corporis pro minimis habeat, & quasi superflua, despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, ut ea, quae summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas praecleara cum intentione usque ad effectum prosequatur. Hic incidentaliter quaeri potest: Vtrum omne bonum sit optabile: quia si sic, tunc fortiter torqueri, & magno animo uti & patienter agrotare, & similia essent optabilia. Ad hoc respondit Seneca epistola sexagesima octava, dicens: Ut ista sint optabilia, distinguo: A me tormenta abesse velim, sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste & animose geram, optabo. Velim non incidere bellum, sed si incido, & vulnera, & famem, & omnia, quae bellorum necessitas affert, geram gratiose, optabo. Itaque non incommoda sunt optabilia, sed virtus, quae perferuntur incommoda, non pati tormenta optabile est, sed pati fortiter. Ceterum secundum Albertum in secundo scripto Ethicorum, quod in repentinis periculis quis se bene gerat, est evidens signum virtutis: quia si pericula sunt praevisa, potest quis (etiam si careat habitu fortitudinis) animum suum ex diurna praemeditatione, contra pericula preparare, & sic in his ex iudicio rationis bene se habere: sed si in repentinis se bene habet, signum est, quod secundum habitum fortis est, vel virtuosus, quo etiam operatur sine deliberatione per modum naturae. Hinc dicit Thomas 22. quod in operatione fortitudinis duo sunt consideranda. Vnum, quantum ad eius electionem: & tunc non est circa repentina, quia fortis eligit praevidere pericula, quae possunt imminere, ut illis possit resistere, vel ea facilius ferre, quia, secundum Gregorium, iacula praevisa minus feriunt. Secundum autem, quantum ad manifestationem habitus virtuosus, & haec maxime sic circa repentina pericula. Quia, secundum Philosophum tertio Ethicorum, in repentinis periculis maxime manifestatur fortitudinis habitus, quia habitus agit in modum naturae. Vnde quod aliquis absque praemeditatione facit ea, quae sunt virtutis, cum necessitas imminet

Tt. 2 propter

propter repentina pericula, hoc maximè manifestat, quòd fortitudo sit habitualiter in anima confirmata. Fortitudo igitur, prout est virtus cardinalis, importat quandam animi firmitatem in arduis bonis faciendis, & malis perferendis, ne deficiat propter difficultatem alicuius boni operis ardui perficiendi, vel alicuius grauis perferendi. Sed, secundum quod est virtus purgatoria, & donum Spiritus sancti, mouetur ulterius ad hoc animus hominis à Spiritu sancto, quòd perueniat ad finem cuiuslibet boni operis inchoati, & euadat quodcunque periculum imminens, quòd excedit humanam naturam: quia non subest potestati hominis, vt finem operis sui consequatur, vel mala seu pericula euadat, quin quandoque opprimatur ab eis in mortem, sed hoc operatur Spiritus sanctus, dum eum perducit in vitam æternam, quæ finis est omnium operum bonorum, & euasio periculorum.

Gradus fortitudinis.
III.

Tertius proinde gradus mentem in æternis figit, & sic est virtus animi purgati, cuius est non solum passiones corporis vincere, sed penitus ignorare, ita vt irasci nesciat, & nihil nisi æterna cupiat. De qua dicit Ambrosius: Iure Fortitudo vocatur, cum vnusquisq; semetipsum vincit; nam. continuo nullis illecebris inflectitur, aut emollitur, nec aduersis perturbatur, nec in prosperis extollitur: sed quasi vento quodam Spiritus sancti variarum rerum circumfertur prouida mutatione. Et Lactantius libro de vero cultu: Timidi & imbecillis est animi ablorem metuere, aut egestatem, aut mortem: quæ omnia quisquis non horruerit, fortissimus erit. Qui autem Deum metuit, hæc omnia deridebit. Vnde secundum Casiodorum: Sæpe latet sub otio laudabilis fortitudo, quæ dum non habet se probandi spatium, occulta est tota lux virtutum. Huius igitur fortitudinis actus potissimus est, sustinere martyrium pro Christo. Et *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*: Dicit enim Seneca, quòd magnanimitas est iniurias portare in summa patientia. Magnanimi enim proprium est placidum esse & tranquillum, & iniurias atque offensiones spernere. Facit enim sibi pacem, nihil timendo; facit sibi diuitias, nihil concupiscendo. Nam qui magnanimus est, nunquam sibi fieri contumeliam iudicabit, vt sic ad illam beatitudinem perueniat, de qua dicitur: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*. Hic igitur primò quærari potest, Vtrū Martyrium, quo quis ex charitate propter Christum sustinet mortem, sit actus maximæ perfectionis, sicut Dominus innuere videtur, dicens: *Maiorem dilectionem hac nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Actus fortitudinis.
Matth. 5.

Idem.

Ioan. 15.

Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Hic igitur primò quærari potest, Vtrū Martyrium, quo quis ex charitate propter Christum sustinet mortem, sit actus maximæ perfectionis, sicut Dominus innuere videtur, dicens: *Maiorem dilectionem hac nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

suus. Ad hoc dicendum, quod in Martyrio concurrunt quatuor actus virtutum. Primus actus est fortitudinis, ut timorem excludentis, & actum elicientis. Et talis actus non est maxima virtutis & perfectionis, sicut nec fortitudo, à qua martyrium elicitur, est excellentior inter virtutes. Secundus actus est fidei, ut in Deo tanquam in ultimo fine confirmantis: sic etiam non est actus maximè perfectionis, sed finis, ad quem ordinatur, est perfectior martyrio, scilicet bonū diuinū, vel fides Christi, siue dilectio. Nam fides proponit obiectum fortitudinis, id est, summum bonum, & in martyrio homo constanter confirmatur in bono, dum propter imminencia pericula mortis, fidē & iustitiam non deserit. Vnde si fortitudo ciuilis & acquisita firmat animum hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem pericula mortis sustinet, non mirum si fortitudo spiritualis & gratuita firmat animum in bono iustitiæ Dei, quæ est per fidem Christi, ut dicitur ad Romanos. Et sic martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem, sicut in quo quis firmatur. In actu namque fortitudinis duo sunt. Primum est ipsa firmitas, qua quis non cedit contrarijs prohibentibus ab illo bono. Et in hoc consistit essentia fortitudinis. Aliud est bonum, in quo firmatur, & hoc est fortitudinis finis, quod bonum ostendit illi fides.

Tertius actus est patientiæ ut sustinentis & sic concomitanter in Martyribus patientia commendatur, quamuis propriè martyrium attribuaturs actui fortitudinis, qui confirmat hominem in bono, malis resistendo, etiam vsque ad mortem inclusiue. Et sic etiã non est actus maximæ perfectionis, sicut nec patientia, qua talis tolerantia demonstratur. Quartus actus est charitatis, ut imperatis: & tunc inter omnes actus virtutum magis ostendit perfectionem charitatis, sicut ait Dominus: *Maiores hac dilectionem nemo habet, &c.* Vnde charitas perfecta, omnia graua, facilia & prope nulla facit: nimirum cum dicat Glossa super illud Iohannis: *Duces te, quo tu non vis,* quod quantacumque firmolestia mortis, vincit eam vis amoris. Cum igitur, secundum Philosophum mors est vltimum terribilium, & maximum inter terribilia sustinenda, & illam infatigabiliter sustinere facit, quanto magis ea quæ sunt citra mortem? ita quod exuberans Dei gratia fortius animum eleuat ad diuina, in quibus delectatur, quam pœnis corporalibus afficiatur: sicut beatus Laurentius in craticula positus, dixit: *Carbones isti refrigerium mihi præstant.* Et de beato Stephano canit Ecclesia:

T t 3 Lapi-

Martyrij
actus.

I.

II.

Rom. 3.

III.

IIII.

Ioan. 15.

Ioan. 21.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Et tunc fortitudo domini perficitur & eleuatur ad beatitudinem septimam. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et ulterius ad fructum, qui pax nominatur, mentem quietans in quantum cunque poenalibus, iniuriis & contumeliis, cunctaq; fruibilia reddens. In quo statu Paulus fuisse videtur, cum dicebat: *Complacere mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus pro Christo.* Et iterum: *Repletus sum consolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione mea.* Bernardus: Magna vis prorsus amoris, quae sic animas sanctorum Martyrum interiorius rapuerat, quod ita sua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valuerunt: at profecto doloris acerrimi sensus non potuit nisi turbare serenum, et si non perturbare. Quid ergo iam solutas corporibus, & ex toto immerfas immenso pelago aeterni luminis, & lumine aeternitatis consecutas credimus? Vtique perfectissimum illi amoris gradum, quo se diligunt tantum propter Deum.

De patientie commendatione, quae dulcescit in passionis Christi recollectione, & de triplici patientia Dei, ac de patientia Christi. Cap. LXXII.

Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Cantic. viij. Aqua multa, id est, tribulationes mundanae minores, influentes & resurgentes ad modum aquae, non potuerunt extinguere charitatem, & hoc propter charitatis feruorem. *Quis enim nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an periculum, an gladius?* Nam sicut ignis flatu venti crescit: sic vera charitas in tribulationibus coalescit. Hinc dicitur in libro Sapientiae: *Quod mirabile erat, in aqua plus ignis valebat.* Sequitur: *Et flumina non obruent illam, id est, maiores & aperta tribulationes ad modum fluminum inundantes, non obruent illam, quantum ad essentiam veritatem, quia dicitur Matthaei septimo: Venerunt flumina, fluxerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super firmam petram, scilicet Christum, vel charitatem.* Igitur ordine debito de virtute patientiae prosequamur, quae nos ordinat ad fructum summam pacis: quam duobus modis apprehendere possumus, scilicet vel nullam molestiam sentiendo (quod tantum erit in patria) vel molestias non molestè ferendo, quod fit veram patientiam exhibendo. Hinc, ut dicitur ad Hebraeos: *Per patientiam curramus ad propositum nobis*